Accidens ſeparabile eſt, quod reipſa & facilè à ſubjecto abeſſe poteſt ſine ipſius corruptione; ut, *album*, reſpectu parietis; *dormire*, reſpectu hominis.

Accidens inſeparabile eſt, quod reipſa nullo modo, vel ægrè admodum abeſſe poteſt à ſubjecto ſine ipſius corruptione, ut *calidum*, reſpectu ignis; *nigrum*, corvi.

EX ANTEPRÆDICAMENTIS.

Definitiones Anteprædicamentales.

ÆQuivoca dicuntur ea, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata diverſa; ut, *canis domeſticus*, *& ſidus cœleſte*, reſpectu nominis *canis*.

2. Univoca dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eadem eſt; ut *homo & brutum*, reſpectu nominis *animal*.

3. Denominativa ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu: ut, *fortis*, reſpectu hujus abſtracti, *fortitudo*.

Diviſiones Anteprædicamentales.

1. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur. Prioris membri exemplum; ut, *homo currit*; poſterioris, ut *homo*.

2. Eorum quæ ſunt, alia de ſubjecto quidem dicuntur, in nullo verò ſunt prorſus ſubjecto. Alia in ſubjecto quidem ſunt, de nullo verò ſub-

jecto

jecto dicuntur. Alia de subjecto dicuntur, & in subjecto etiam sunt. Alia neque in subjecto sunt, neque de subjecto ullo dicuntur. Exemplum primi membri: *homo* 2. ut, *hæc albedo*, 3. ut, *albedo*. 4. ut, *Joannes*.

Definitio entis in subjecto.

Id in subjecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non uti pars: ut sit autem seorsum ab eo in quo inest, fieri nequit: ut, *albedo in pariete*.

Regulæ Antepradicamentales.

1. Cùm quippiam de quopiam prædicatur, ut de subjecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subjecto, ut, *Joannes est homo, homo est animal, ergo Joannes est animal.*

2. Eorum quæ sunt diversa genere, & non ita se habent, ut alterum sub altero collocetur, diversæ sunt species & differentiæ. Eorum tamen generum, quorum alterum sub altero collocatur, easdem esse differentias, nihil obstat. Prioris membri exemplum; ut, *Animal & scientia*. Posterioris, *Animal & corpus*.

EX PRÆDICAMENTIS.

Definitio ac divisio substantiæ.

Substantia est ens per se existens; ut, *Joannes homo, brutum*.

Substantia dividitur in primam & secundam.

Prima substantia est, quæ neque de subjecto ullo dicitur, neque in ullo prorsus est subjecto, ut, *Joannes, Petrus*, &c.